



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ Luci Datus**

**Widl, Adam**

**Monachij**

§. II. *Ædificatio novi Templi & Monasterij. Conquisitio novarum  
Reliquiarum, inter quas etiam S. Sebastiani Cranium Româ impetratum.  
De quo supra.*

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37233**

§. II.

**ÆDIFICATIO NOVI  
TEMPLI ET MONASTERII.  
CONQUISITIO VARIARUM RELI-  
QUIARUM PRO NOVO TEMPLO,  
INTER QUAS ETIAM S. SEBA-  
STIANI CRANIUM ROMA IM-  
PETRATUM ET EBERSPERGAM  
ALLATUM.**

**S**Teterat etiamnum ad illum usq;  
diem, uti supra memini, seu  
antiquitatis veneratione, seu opera-  
rum dissimulatione supersticiosa illa  
Tilia, uti & vetus antrum, Infer-  
nalis illius Apri receptaculum; for-  
tè ut memoria extaret Diaboli olim  
ibi per oracula consulti & adorati.  
Supervênit operi Hunefridus, &  
memor cælestium jussionum, quas  
Viri Sancti ediderant, Eberhardo  
Auctor fuit, ut totam superstitionis  
materiam aboleret, & unâ memo-  
riam tam pertinaciter hactenus in-  
agrestium mente fixam, & resisten-  
tem

*Spelunca &  
Tilia demo-  
litione*

G

tem



96 *Structura novi Templi Monasteriisq*  
tem etiamnum securi ad radices arboris toties applicatæ: non enim fas esse, aiebat vir cælestium intelligens, vel lapidem de Regno Diaboli esse super, qui non destruat neque uno eodémque loco consistere Baälem & verum Nomen, Arcam & Dagonem; Diaboli imperium esse, ut funditus Diabola & hortus pereat, ne folio quodam de arbore relicto, aut calcato de spelunca. Facilem dictis Eberhardum habuit Hunefridus: motus enim jussu ipsius, velut ad classis cum, piâ quadam vindictâ omnis populus in Tiliam insurrexit, arborem annosis ramis & brachiis multavit, totamque radicibus excidit, ut quid enim terram occupavit inutile lignum, foco pridem devotum? Similis probus furor in Saxeum antrum incubuit. Lapis grandis multis vulneribus & partibus minutus, totus quantus diffractus est, ut ne vestigium restare absc

Qui



Quibus omnibus strenuè perfectis  
Sacrum ædificium maximo animo-  
rum pariter, ac manuum fervore  
susceptum est, ut intra breve tem-  
pus cæmentitium opus steterit. Ba-  
siliica recepto ab ipsis Apostolis mo-  
re in formam Crucis ædificata est.  
Longitudo octoginta majorum pe-  
dum erat, latitudo quinquaginta.  
Gesta sunt hæc Anno ab humana  
Salute DCCCCXXXVIII. Accessit  
cum tempore omnis templi orna-  
tus interior & exterior, & totus de-  
cor Domûs DEI non tantum ne-  
cessarius, sed etiam conspicuus. Ea-  
dem operâ versus ad extruendum  
Patribus Canonicis Cœnobiû Eber-  
hardus omnem industriam impen-  
dit, ut brevi moles consurgeret. In  
auxilium pii operis vocati Adalbero  
frater Eberhardi, & Soror Wili-  
birgis dignam uterque operam so-  
ciârunt. Unde factum, ut tota  
structura intra Sexennium fuerit  
absoluta, hoc est, Anno post Chris-  
tum

*Nova Ec-  
clesia.*

*Initium Cœ-  
nobis.*



98 *Structura novi Templi Monasteriis*  
stum DCCCCXXXIV. Henrico  
Primo Romanorum Rege, Arnol-  
pho secundo Bojorum Duce,

*Cranium  
S. Sebastiani  
Româ allat-  
um.*

Intra hoc ipsum tempus, uti su-  
pra in Synopsi dictum est, pio Eber-  
hardi studio, inter varias Divorum  
Reliquias etiam pretiosum D. Se-  
bastiani Cranium Româ Ebersper-  
gam allatum est, cujus rei accur-  
tam enarrationem cum ibi fusiùs  
antiquis documentis retulerim, ha-  
bitandam non censeo aureæ bre-  
vitatæ studio, ne idem bis dicatur.  
Quæ omnia cum læta admodum  
essent tum ipsi Eberhardo, tum He-  
nrico, Viris Divini cultûs studio-  
sissimis, intervênit tamen, uti nihil  
in humanis omni ex parte beatum  
est, triste quiddam, & Eberhardo  
perquam dolendum.

*Consecratio  
Templi im-  
pedita,*

Steterat novum Templum  
jam partibus absolutum, nec tam-  
en ejus Dedicatio justis etiam precibus  
impetrari unquam poterat. Dr  
colfus Frisingensis Episcopus, qu



de quo vide Brunerum *Annal. Boi-*  
*cor. part. 2. lib. 7. num. 8.* Dracol-  
fus, inquam, nescio, qua ex causa  
in sententia sua firmus, immotusq;  
consecrationem loci constanter ab-  
nuit, neque etiam potestatem exer-  
cendi Actus, ut alteri cuidam Præsuli  
faceret, unquam induci potuit. fa-  
cile fuit, hinc subodorari, malignam  
dæmonis se ulciscens stropham in-  
tervenisse, utpote qui indignè fere-  
bat, excisam Tiliam, eversum an-  
trum & Regnum suum, & se fortem  
armatum à fortiore, antiquâ loci  
possessione turpiter pulsum, deje-  
ctum, atque exutum fuisse.

Subinde absoluto quoque non  
templi modò, verùm etiam Cœno-  
bii ædificio, Eberhardus Hunefri-  
dum eò permovit, ut plures ejus-  
dem Coloris, Instituti ac Regulæ  
Patres advocaret. quem in finem  
largos sanè redditus diversis locis non  
tantùm pro religiosa sustentatione,  
sed templi etiam sumptibus affig-  
navit,

G 3

*Fundatio  
Canobii.*



navit, quarum dotationum palmaria fuit tota Semptæ ditio, excepto Eberspergenſi Caſtro in quod Eberhardus ſibi & ſuis, dum viverent aliud jus nullum retinuit, quàm Tutoris, ſeu Advocati Fiſcalis, notiffimum illis temporibus nomen; hodie fortè Protectorem quis dicere. Porro hæc tota liberalis fundatio facta eſt temporibus Henrici Regis, quem paulò ſupra adduximus, Anno videlicet poſt Chriſtum DCCCCXXXIV, omni tunc Dominio in Hunefridum, ejuſque ſucceſſores translato, eo juris Rigore ac Sanctitate, ut nec Eberhardus ipſe nec poſteriorum ullus poteſtatem haberet revocandi, aut quicquam ſuum deinceps faciendi, quod denatum fuerat, quocūque titulo, colore. idque Virorum Nobilium & Illuſtrium teſtimonio ratum, confirmatumque voluit Eberhardus, quicquam ampliùs mutari, aut eveniri poſſet. Verùm de his pietati



*Bellum Hunnicum, de iisdem &c.* 101  
incrementis satis. Ultima Hun-  
norum seu Hugarorum in Boicam ir-  
ruptio nos ad se vocat.

§. III.

BELLUM HUNNICUM  
ULTIMUM. PLENA VICTO-  
RIA AD AUGUSTAM VINDELI-  
CORUM, PRÆSENTE QUOQUE  
EBERHARDO BELLI DUCE, EX  
CÆSIS AD INTERNECIONEM ET  
PROFLIGATIS HOSTIBUS  
RELATA.

**R**ursus Scriptores passim vari-  
ant, quo anno ultima Hun-  
norum, seu, ut Brunerus loquitur,  
Hungarorum irruptio in Aleman-  
niam facta sit, illud satis comper-  
tum à variis traditur, accersitos fu-  
isse à quibusdam Patriæ proditori-  
bus, venalis fidei hominibus, & ex  
incipiti temporum mutatione pen-  
dentibus, in Germaniam, cujus jam  
tories sanguinem & fortunas hau-  
serant. Devoraverant spe victo-

*Irruptio  
Hunorum  
in Germani-  
am istata.*

G 4 riam